





107
7.

1785 30.
12

8

NOTATA
DE

COMITIBVS PALATINIS
SAXONIAE

P. 107.

ILLVSTRIS I. CTORVM ORDINIS INDVLTV
PRAESIDE

IOH. THEOPHILO SEGERO
IVRIS SCIENTIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORE CATHE-
DRALIS ECCLESIAE NVMBVGENSIS CANONICO
SVPREMAE IN PROVINCIA CVRIAE ET COLLE-
GII IVRIDICI ASSESSORE PANDECTARVM
PROFESSORE ORDINARIO


A. D. XIII. IANVARIi AN. C1910CCLXXXV

H. L. Q. C

AD DISCEPTANDVM PROPOSVIT

THEOPH. SIGFRID. SOHR
GRIMMENSIS

LIPSI AE
EX OFFICINA SOMMERIA



IN C. T. A. A.
COMITIBUS PALATINIS
SAXONIAE

CHRISTIANUS
IOH. THOMAS
SAXONIAE



167
7.

EXCELLENTISSIMO ET ILLVSTRISSIMO
DOMINO
CHRISTIANO GOTTHELF
S. R. IMP. LIBERO BARONI
A GVTSCHMIDT

DYNASTAE IN KLEIN - VVOELLMERSDORF
SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS
SAXONIAE
COMITI CONSISTORIANO
DE RE PVBLICA IMMORTALITER MERITO.

EXCELSISSIMO ET ILUSTRISSIMO

DOMINO

CHRISTIANO GOTTFREDO

2 R IMP LIBRO MARONI

A. GUTSCHMIDT



[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



Quaerenti mihi Patronum tenui, quem in
academicos usus scripsi, libello *TVA*,
DOMINE, obuersatur imago sapientissimi
et perfectissimi rei publicae regendae administri. Quae enim
et quanta munera non fortissime sustines et quas grauissimi
officii partes non optime explēs! Itaque cum litteras quoque
non tantum ames et foueas, sed earum etiam cognitione ita
excellas, ut, qui pari doctrina gloriari possint, paucissi-
mos, qui maiore, neminem reperiamus, praeter ea unus-
quisque bonus ciuis Deo, quod *TE* patriae dedit, grati-
as agere et pro incolumitate *TVA* supplicare, suam autem
virtutem *TVI* patrociniū, quod nemini non indigno deesse
solet, quasi magnitudine metiri debeat, constitui has pri-
mitias studiorum meorum *TIBI* offerre et tum deuoti ani-
mi mei pietatem significare, tum vero etiam ignotus omni-
bus,

bus, qui ad clauum rei publicae sedent, TVAM, si possim,
gratiam tutelam que mihi exorare. Quodsi in posterum
TVA protectione me non prorsus indignum iudicas, felici-
tatis meae magnam partem me consecutum existimabo.
Deus TE seruet, omnem que Domum TVAM tot viris de
re publica praeclare merentibus, Filiis TVIS, tot or-
namentis ac decoribus splendidissimam prosperet atque
secundet.

EXCELLENTISSIMO NOMINI TVO

Lipsiae
d. VIII. Ianuar.
an. CIOIOCCCLXXXV

deuotus
Theophilus Sigfridus Sobr

Vestigia officii Comitis Palatini in aula Regum Francorum Imperatorum que Carolingicae stirpis.

Vt iustam idoneam que Comitum Palatinorum, celeberrimi profecto in Romano Germanico Imperio officii, notionem nobis efformemus, ad altiora omnino tempora, quibus prima imperii veluti fundamenta iacta fuerunt, necessario ascendendum est. Quae enim ad nostros tandem Serenissimos Saxoniae Principes translata peruenit Palatii dignitas, ex veteris regni Francorum disciplina et prisca Palatii antiquitatibus augustas suas origines duxit. Iam tum in aula Merouidarum Comitem Palatii emiuisse, multis que gravitate insignibus sua negotiis occupatum fuisse, animaduertimus. Nec ignota est Francorum aequae, atque aliorum Germanicae originis populorum in veteri Romano Imperio noua regna condentium, consuetudo, tum multas dignitates atque officia omnino ad sensum Romanae disciplinae, et ad exemplum eorum, quae Romani Imperatores instituisent, etiam in suo populo ordinandi, tum, si quod ex Teutonico more mu-



nus et ministerium non tantum inter suos necessario retinendum, sed etiam ad deuictos Romanos aliquo pacto transferendum videretur, illi, vt Romani minus aegre ei asuescerent, et rationes ciuiles componerentur tutius atque arctius constringerentur, vsitati cuiusdam apud Romanos officii nomen tribuendi, vtrum vetus vocabulum nouae rei siue omnino, siue satis accommodatum esset, haud semper nimis solliciti: vnde fit, vt comparatis inter se variis Francorum Romanorum que honoribus, aequali nomine designatis, mira saepenumero inter vtrosque diuersitas eluceat. Haec sane est Comitum Palatinum ratio, cui cum Comite sacri Palatii, quem Codices Theodosianus et Iustinianus describunt, non multo plus, quam nomen commune fuit; quantumuis haec eiusdem vocabuli vsurpatio nonnullos superiorum praesertim seculorum scriptores eo seduxerit, vt vtriusque etiam aequales officii partes fuisse perhiberent. Meliora iam in *Originibus Palatinis*, (Heidelberg. a. 1613. T. II. editis) docuit MARQVARDVS FREHERVS; sed idem diligentissime obseruauit ill. Comes BVATIVS Orig. T. III. p. 49. (*Les Origines, ou l'ancien gouvernement de la France, de l'Allemagne et de l'Italie, à la Haye, 1757.*) vbi Comitem Palatii apud Francos in locum eius, qui Romanis, tempore iam declinantis imperii, Magister Officiorum diceretur, susceptum fuisse docte et subtiliter animaduertens, vtriusque officii partibus inter sese comparatis, in paucis quidem aliquam diuersitatem conspicuam, in plerisque maximam huius atque illius dignitatis similitudinem demonstrauit. Scilicet Comiti Palatii suprema iurisdictionis administratio erat demandata, ipse que in iudicio, quae audientia Palatina dicebatur, tanquam supremus regni aulae que regiae iudex praesidebat, causas litigiosas coram ipso peroratas secundum legum consuetudinum que normam decidens. Suprema etiam ei cognitio causarum, quae a proximis iudicibus aut omnino non audita, aut protractae, aut non recte iudicatae dicerentur, ob eam que rem vel querela, vel pronocatione partium ad palatium Regis peruenissent. Et quanquam ipsi etiam Reges ad audiendas ciuium suorum controouersias haud raro descenderent, eo ipso tamen Comitum Palatii auctoritas non parum inualuit, quoniam per hunc potissimum viam sibi parare debebant, qui lites suas ad aures regis

gis

167
7.

gis deferri in que regis placito componi cuperent. Nam vt ne
 quas praeter necessitatem, sed vt grauiores duntaxat causas ad re-
 gem referret, diligenter ei iniunctum erat. Haec igitur frequens
 Comitis Palatini cum ipso rege conuersatio, haec auxilium istius
 implorandi necessitas, non potuit non et auctoritatem eius firmare
 et ipsum cumulatissimis implicare negotiis. Quamobrem hinc,
 MARVS RHEMENSIS, cuius relatis (*de Ordine Palatii* c. 16. ap. DU
 CHESNE, II. p. 491.) maximam partem innituntur, quae hucus-
 que notata sunt, innumerabilia paene eum negotia occupasse, au-
 ctor est. In vniuersum autem potestas iudiciaria Comitis Palatini
 causis secularibus adstricta, iisdem officii partibus continebatur,
 quae Archicapellano in causis ecclesiasticis concreditaee incumbe-
 bant: id quod laudatus BVATIVS T. III. p. 411, et ante eum
 PETRVS PITHOEVS, (in *Tractatu, de Comitibus Palatinis*, FREHERI
originibus annexo, p. 10.) WALAFRIDI STRABONIS, de *diuinis*
officiis, auctoritate, iam dudum recte animaduertent. Exau-
 ctoratis postea Merouaeae stirpis regibus, imperio que sub Pipini
 posteris summa rerum potestis, cum virium internarum incremen-
 tis, tum nouarum regionum accessionibus aucto et laetius incre-
 scente atque efflorescente, Comitis Palatii dignitas non solum ser-
 uata, sed ad altiore quoque magnitudinis gradum prouecta emi-
 nuit. Cum enim a Pipino Breui solum regium occupante nemo
 alius in Praepositi, siue Maioris Domus locum sufficeretur, verum
 haec proxima regibus dignitas penitus interiret, factum est, vt
 Comes Palatii, quippe teste HINC MARO inter primarios aulae offi-
 ciales relatus, et ordine propius ad regem eueheretur, et per-
 multis negotiis, quibus antea Maiores Domus perfuncti erant,
 magno cum suae auctoritatis incremento admoueretur. Nescio
 an ob eam rem plures interdum simul, vt in ipsa aula praesentes
 essent, creati sunt Palatii Comites, aut etiam ei, qui iam huic officio
 praesset, nouus adiunctus est. Certe ea ratione varia loca,
 ad illud aeuum referenda, quibus plures occurrunt Palatii
 Comites, haud difficulter intelligi et conciliari cum aliis
 queunt.

*Numerus Comitum Palatinorum paulatim auclus. Terrae in
quibus occurrunt.*

Sane sequenti tempore haud inusitata, sed immutata aliquantum Palatinos Comites multiplicandi ratio affuit. Cum enim amplissimum regnum in tot singulas provincias, in Ducatus et Comitatus maiores minores que distributum cerneretur, magnae profecto prudentiae et ex regis rationibus fuit, vbiuis in mediis Ducatibus et Comitatibus fundos homines que et alia emolumenta a Ducum et caeterorum Comitum potestate exemta retinuisse, vt, quocumque demum locorum reges venirent, in suo degerent, eo que modo ipsos Duces, Comites et omnes omnino publicae rei praefectos intra potestatis concessae limites facilius continerent. Ista ditio regio sic seruatae et per Imperium late dispersae, domania imperii vel regni vulgo vocantur, cum et prouentuum administratore, et iustitiae inter homines ibidem degentes moderatore indigerent, primam Comitum Palatinorum per diuersas provincias constituendorum, certe in Teutonico, siue Franciae orientalis regno, occasionem praebuerunt. Vtrum in regno Franciae occidentalis vigerit omnino simile institutum, haud ego in praesenti disquiram. Sane procuratores regis, quos Francogalli maiores in domaniis iudices appellarunt, tametsi ex Comitum Palatinorum officio aliquid tenuerunt, non tamen ad horum dignitatem ascendisse, et *BYATIVS* l. I. T. II. p. 108 fatetur, et testimonio est ipsa nominis Comitum Palatinorum in primariis aulae officiis diuturna per id ipsum tempus, quo iam maiores in domaniis iudices claruerunt, retentio. Nec quae *FREHERVS Origg: Palat: T. I. pag. 16*, de Palatinis Blesensibus Troiensibus et Campaniae habet, satis expedita sunt aut confessio. Id liquet, officium Palatinum, quod Comites Campaniae non quidem sui Comitatus, sed hereditario gentis iure in aula regum Franciae occidentalis gessisse, nec ab Imperatoribus nostris, sed ab ipsis istis regibus tenuisse, *BYATIO* iudicantur, (l. I. T. IV. p. 24.) Philippi pulcri aetate intercidisse. Sed ad Germaniam nostram redeundum est, in qua successu temporis frequentissimi inno-

167
7.

VII

innotuerunt Palatii Comites, qui omnes, quo ampliores tene-
 rent ditiones patrias, et quo plures maiores que terras Palatina-
 tus causa administrandas ab Imperatoribus nacti essent, eo
 insigniori quoque et auctoritate et potentia inter caeteros Imperii
 Primores eminuerunt. Sic praeter Comitem Palatinum in regno
 Burgundico, quod, etsi cum Teutonico non secus atque Lotharin-
 gicum, ita coniunctum, ut vnus omnium rex esset, et vnus
 ex omnibus populus, in generali concilio pari Statuum iure, con-
 ficeretur, singulare tamen Palatium et proprios officiales reti-
 nuit, Sueviae, Bauariae, Saxoniae et terrarum Rhenensium
 Palatini in regno Teutonico speciatim sic dicto commemoran-
 tur. Quibus quidem tanto numero creandis et constituendis
 cum legum, quibus varii populi vterentur, diuersitas, tum ter-
 rarum bonorum que fiscalium amplitudo, quae partim ex feudis
 imperii, vassallo ad imperiale fastigium euecto, olim fisco caden-
 tibus, increuisset, materiam praebuerunt. Sic ob vtramque causam
 celeberris olim Palatinatus Bauariae extitit, quo gerendo initio
 quidem familia Comitum Scheirensium, postea vero illustris Witt-
 telsbachiorum gens, Seculo XII. Palatinatum quoque Rhen-
 nensem assecuta, inclaruit. Ex omnibus vero soli Saxoniae
 ac terrae Rhenensis Palatinatus, quanquam caeteri non ita, uti
 AVATIO visum, iis olim inferiores fuerunt, hodieque supersunt,
 dudum illi ante, quam instar caeterorum feudorum hereditarii
 ferent, ab amplissimis Imperii Principibus administrati. Cuius
 quidem rei veritas, uti ex iis, quae amplius de Palatinatu
 Saxónico differuntur, magis patebit, ita de Comitibus Palatinis ad
 Rhenum hoc tantum aditio, eos iam sub initia dignitatis suae terris
 hereditariis locupletissimos fuisse. Quas cum paulatim nouis ditioni-
 bus acquirendis insigniter auxissent, tandem Archidapiferatus Impe-
 rii officium adepti, ad ipsam Electoralem dignitatem ascenderunt.
 Caeterum varia hic illic occurrunt vestigia, ex quibus, quanto
 honore et Saxonicus, et alii Comites Palatini habiti fuerint, iusta
 argumentatione deduci potest. Non enim solum in diplomatis,
 quibus consciendis testes astiterunt, inter Episcopos, Duces,
 Marchiones alios que Imperii Proceres recensentur, sed in litte-
 ris quoque inuestiturae Henrico Illustri a Friderico II. Imperatore
 anno



anno 1242 datis, quae extant in *Hornii vita Henrici Illustris*, (Lipsiae, 1726, p. 304) Palatina Comitua Principatus nomine insignitur: nec dissimili ratione Auctor *Chronici Sampetrini Erfurtenst*, (ap. MENCKEN. Tom. III. p. 229,) Palatinatum Saxonium Principatum dixit. Ne dicam, Palatinos etiam Comites, more inter omnes fere Imperii Proceres recepto, aulam Officialibus Ministerialibus quae instructam sustinuisse, velut exemplum nobis offert diploma datum anno 1085. apud HEIDENRICVM, quippe scriptorem eius *Historiae Palatinorum Saxoniae*, quae Erfordiae prodiit a. 1740, (*Entwurf einer Historie der Pfalzgrafen zu Sachsen*, p. 78) in quo Ministeriales Friderici II Gosecensis, Palatini Saxoniae, disertis verbis inter testes commemorantur.

III

Comitum Palatii potestas iuris dicundi.

Caeterum duabus potissimum officium Comitum Palatinorum partibus absoluebatur, iurisdictione, et domaniorum imperialium administratione. Et iurisdictione quidem, quae ex rationibus iudicariae potestatis Comiti Palatii in aula regia Francorum olim demandatae existimari debet, plurimum ad dignitatem eorum contulisse videtur. Maxima vero eorum auctoritas non poterat non conspicua tunc potissimum apparere, cum Imperator in prouincias, intra quarum fines Comites Palatii officio suo fungebantur, conuentus ac fora ibi acturus, deuenisset. Quo tempore, Comes Palatinus causas hominum ad Imperialem curiam iustitiae impetrandae gratia confugientium audire, querimoniis remedium adhibere, male iudicata denuo cognoscere atque emendare, lites grauiores in placitum deductas decidere, vel de his omnibus ad Imperatorem referre et omnino ea cuncta peragere debebat, quae olim Comiti Palatii in causis ex vniuerso Imperio ad aulam regum Francorum delatis, quotidie expedienda incubuerant. Quodsi in eius modi curiis Imperatorum praesentia condecoratis, controuersiae quaedam inter ipsos Imperii Proceres incidissent, earum quoque, non decisionem quidem, veruntamen cognitionem ad Comites Palatinos spectasse, recte statuitur,

statuitur, non quasi ipsi ordinaria sui magistratus lege potuerint etiam Principes in ius vocare, sed quoniam extra ordinem vice sacra iurisdictioni praeerant, et assidentibus atque iudicantibus Paribus causas definiebant. Quo sensu saepe euenit, vt vel de ipsius Imperatoris controuersis non aliter atque inter procuratorem fisci et reum constituta a Principe, ad quem fiscus pertinet, iudicia, ex parium suffragiis decernerent. Id quod male intellectum fabulosae de Comitis Palatini iudicio in Caesarem narrationi occasionem dedisse, vix vllus hodie dubitat. Sed de fisci regii cum praediis, tum hominibus Comes Palatinus omnino hac ordinaria lege cognouit, vt et ingenui homines, et serui colendis istis terris adhibiti, et ipsi etiam inferioris ordinis iudices ibi per diuersa loca constituti, iurisdictioni eius subessent. Quae quidem tum ad ciuiles, tum ad criminales causas pertinuit. Ipsa vero iudicia, nunc in hoc, nunc in illo palatio celebranda, Placita Palatina dicta fuisse, e diplomate Adelberti Sommerburgici, Comitis Palatini Saxoniae, de anno 1163. ap: HEIDENRIC: l. l. p. 128. aliam ob causam exhibito, in quo Adelbertus et sui, et patris sui placiti mentionem fecit, fidelissime discimus. De interiore vero illius placiti forma facile intelligitur, illud quoque, tum in iudicibus seu scabinis adhibendis, tum in testibus audiendis, causis dirimendis, poenis exigendis, et in vniuerso omnia procedendi modo, ordinem eorum iudiciorum, quibus alii Comites vel Duces praefuerunt, esse secutum.

IV

Ius Comitum Palatii bona imperialia administrandi.

Altera, quae munere Comitum Palatii continebatur, pars fuit honorum imperialium, cum Palatiis coniunctorum, procuratio. Iphis enim Palatiis Imperatorum amplissimas cohaesit, se ditiones, castra imperialia, villas regias, curtes dominicas, praedia, agros, foresta complexas, res notissima est. Exempli causa vel vnum Palatium Lauchstedente proposuisse sufficiat, vnde, quo ambitu reliqua palatia etiam late patuerint, facili negotio colligere licet. Scilicet, quae huic palatio annexa fuerint, ea omnia

B

omnia



mnia in litteris inuestiturae, quas Carolus III. Imperator Misniae Marchionibus anno 1350. Palatinatus causa exhibuit, ap: HENRIC: l. l. p. 190. fusius notata recensentur, eo que dominia, praefecturae, feuda, villae, arimannia, bannum supremum, tribunalia bannaria, viae, portoria, vestigalia, monetae, nundinae, metalla, iura ferina ac forestalia, saltus, foresta, flumina, piscationes, pascua, et id genus alia referuntur. Quae quidem proluxa singularum rerum ad palatia Imperatoris pertinentium enumeratio facit, vt, quae fuerint Comitis Palatini ante quam eas sibi proprias reddidisset, in iis administrandis partes, tutius definire valeamus. His igitur singulis quibusque diligenter providere, inferiores, vbi ex negotii natura opus esset, officiales procuratores que constituere, fructus ex praediis, aquis, forestis percipiendos colligere, redditus denique e vestigalibus multis que iudicialibus prouenientes exigere, et tantum non omnes ad fiscum augustalem transmittere debuit: partem enim ipsi Comiti Palatino cessisse, atque beneficii titulo propter officium datam esse, non ambiguum est. Quodsi vero domaniorum intuitu centrouersiae vel grauamina a fiscalinis vel de bonis fisci regii mouerentur, eorum cognitio ac compositio nemini meliori iure, quam Comiti Palatino, vindicari potuit: cuius sententia, cum proxime Imperatorem, vel potius bona Imperatoris tangeret, euenit, vt ob hanc quoque causam Comes Palatinus saepius iudex Imperatoris diceretur, quod etiam illustrissimus SVAVIVS T. II, p. 112 recte animaduertit. Nec in arimannis, quanquam, docente MOELLMANNO, eius vocabuli significatio longe latius patet, manum armatam defuisse, eo consilio per terras Palatinas dispositam, vt, exorto bello, sub vexillo Comitis Palatini militiam mereret, testimonio sunt crebrae Comitum Palatinorum expeditiones bellicae. Sigfridus Comes Palatinus Rheni, testante *Chronico Hirsaugensi*, expeditioni cruciatae sub Gothofredo Bullioneo anno 1096. susceptae, interfuit, Comite Palatino Sueviae sibi interim vicario substituto: Hermannus quoque, Rheni, et Fridericus II. Sommerbergicus, Saxoniae Comes Palatinus, teste HELMOLDO l. 1. c. 63. cum aliis Principibus anno 1147. expeditionem contra Slatuos septentrionales susceperunt.

107
7.

Origo Comitum Palatinorum Saxoniae.

In primis Palatinatus Saxonici originibus et veluti incunabilis sistendis tot tam que diversae extant doctorum opiniones, vt vel iis solis commemorandis et discutiendis haud sterilis nec infructuosa peculiari libello materia sufficeret. Multi quidem in vindicanda huius comitiae vetustate altissime descendendum esse duxerunt, adeo que, quo tempore Saxonum gens multis cladibus debilitata Francorum imperio sese subiicere coacta fuit, eodem quoque Comitium Palatinam Saxoniam fundatam stabilitam que perhibent. Cui quidem sententiae vt speciosam rationem obducant, addunt, Comiti Palatino Saxoniae a Carolo Magno instituto id potissimum negotii demandatum fuisse, vt iura Saxonica, quae tunc temporis ex lege victoriae et foedere cum Francis vigerent, conseruaret tueretur que. Hinc quidam Albionem, Saxonum Procerem sua aetate virtutis bellicae laude maxime celebrem et VVittekindi in, ducendis Saxonum cohortibus sodalem, primum inter omnes Comitium Palatii Saxoniam obtinuisse tradunt. Ista vero opinio, etsi inter caeteros REVSNERI, FABRICII, ALBINI, SPANGENBERGII, ZECHII que, virorum profecto haud contemnendorum nomina prae se ferat, tamen, cum et historiae monumentis, de Albione, ex quo cum Carolo victore in gratiam redierat, plane fere silentibus, desinita, et prudentiae quoque ciuili, quam in Caroli Magni institutis conspicuam admiramur, parum sit accommodata, sua ipsius fragilitate corrui. Sic Rigdagum etiam, Marchionem Misniae, vt post alios magni nominis viro ZECHIO visum, Comitem Palatinum Saxoniam fuisse, probari nequit. Nec firmiori fulcimento sustentantur, quae HEIDENRICVS l. l. c. I. § 3. de Trutmanno tanquam primo inter omnes Comite Palatino Saxoniam, innixus ille praecepto Caroli Magni pro Trutmanno Comite, quod datum a. 789. extat in BALVZII Capitul. Regg. Franc. T. I. p. 249. asseruit. Ibi quidem Calus ita: *In illa parte Saxoniam Trutmannum, virum illustrem, ibidem Comitem ordinamus, vs resideat in curte ad campos, in mallo publico, ad vniuersas causas audiendas, vel ad recta iudicia terminanda:*

B 2

ireq

da:

da: is que aduocatum omnium presbyterorum in Saxonia agat, super vicarios et scabinos, quos sub se habet, diligenter inquirat et animaduertat, ita, vt officia sua sedulo peragant. Sed cum hoc regio epistalmate Trutmannus Saxoniae tantum Comes cum maiore quadam potestate praeficiatur, nulla Palatinae dignitatis, Carolo regi non ignotae, mentione facta; omnia, quae exinde efficiuntur, eo duntaxat redeunt, vt illum, seu plures Comites, saepe etiam eo aeuo Ducum vocabulo honoratos, vicarium regis et Procuratorem in Saxonia, qua Carolo subacta parebat, designatum fuisse liceat affirmare. Reliquos, qui Palatina dignitate ornati in Saxonia resedisse a recentioribus perhibentur, enumerare non attinet. Quae enim de iis traduntur, meris coniecturis nullo testimoniorum idoneorum munimento firmatis subsistunt. Nam qui Imperatorum stirpis Carolingicae aeuo in diplomatis historiae que scriptoribus saepius occurrunt Comites Palatini, ii non in Saxonia sola ius dixerunt, sed, vt iam supra animaduersum est, reges imperatores que conuentus et fora agentes vbiuis locorum comitabantur. Ad hos igitur Ansfrius, Gabauvvinus, Ruadhartus alii que, quorum passim mentio fit, referendi sunt. Vt vero omnino Imperatorum Carolidarum aetate, frustra vestigia certa Palatinatus Saxonici quaerimus, ita etiam ne seculo quidem decimo, quo tamen prima eius fundamenta iacta esse non dubitamus, tempus et reliqua, quae in stabilienda illa dignitate acciderunt, a scriptoribus aequalibus notata reperimus. Quodsi veteres libros, qui de ludis equestribus agunt, a FABRICIO in *Originibus Saxoniarum* l. 1. p. 31. laudatos, sequi liceret, Palatinos Saxoniae iam Henrici I. aetate, vbi Arnoldus hoc elogio insignis commemoratur, affuisse appareret. Equidem cum Henricus ille primus in Saxonia cum libera potestate regnauerit, nempe, vt hoc optime explicatur, ducalem et regiam potestatem coniunxerit, Palatinum forte, qui Vicarius regis esset, in Saxonia constitutum esse non abnuam. Sed cum isti de ludis equestribus libri fidei nimis subleuae sint, quam vt in tanta originum Palatinarum obsecritate iis auctoribus vti possimus, nihil amplius affirmare licet, nisi hoc vnum, saltem Ottone I. imperante Comites Palatinos per Saxoniam inauguratos fuisse. Etenim qui sub finem huius imperii

perii

107
7.

perii Palatinatu Saxonico functus sit, non ignoratur: et quamvis ipsum annum stabilitae Praefecturae Palatinae definire nobis non sit integrum, tamen alia quaedam subueniunt, vnde ad primordia huius dignitatis haud profus inepte argumentari queamus. Scilicet, quo tempore Hermannus Billungus Saxoniam Ducatus titulo concessam obtinuit, eodem quoque terras, quae maiori forte, quam antehac, numero in bonis imperialibus retineri deberent, a reliqua Saxoniam separatas palatiis quae instructas fuisse, perquam probabile est. Igitur eadem circiter aetate primum quoque Comitem Palatinum Saxoniae creatum comparuisse, haud quidem nimis eudacter coniectatum existimauerim. Certe haec coniectura innumeris illis difficultatibus haud grauat, quibuscum illi, qui natales Palatinatus ad vetustiora tempora referunt, conflictantur. In vniuersum vero non taedet adhuc animaduertere, a vero perquam aberrasse eos, qui Palatinatum cum Ducatu Saxonico antiquissimis temporibus omnino coniunctum existimarunt, in quam sententiam ipse GRIEBNERVS dissert. de iuribus Palatinatus Saxonici Duci Electori propriis §. 4. n. c. §. 5 et 8. inclinare videtur. Haec enim non solum Palatinatus rationi, sed et historiae memoriis quam maxime aduersantur, cum in tota Ducum Saxoniae serie ne vnus quidem Palatina dignitate vere exornatus ante Rudolphum II. occurrat, in quo ipso tamen eius quae successoribus separatae omnino Palatinatus a Ducatu rationes extiterunt. Nec melioris notae esse videntur, quae STRYVIVS diss. de Comitibus Palatinatus Saxonici Serenissimae genti communi, p. 7, et 31. FABRICII Origg. Saxoniar. I. 1. p. 89. auctoritate nimium fretus, perhibuit, Palatinatum maxime in vrbe Altstedensi ita radicatum asserens, vt ei quasi fundo iura Palatinatus inhaereant. Quae, si vera essent, ille ipse error, quo Palatinatus certo loco innexus statuitur, quem tum HORNIVS in diss. de Comitibus Palatinis Saxoniae, §. 18. tum ipse STRYVIVS non minus iuste, quam feliciter impugnavit, non solum denuo reuiuisceret, sed etiam in cuiuscunque dominio vrbs illa Altstedi subfiterit, ad eundem quoque semper Palatinatum Saxoniae ipso iure deuolutum fuisse, necessaria consecutione efficeretur. Verum ipsa palatiorum Saxoniorum frequentia, quae eo simul coniunctionis vinculo inter sese contineban-



tar, vt non vnus solum, sed omnium omnino procuratio Comiti Palatii esset gerenda, istam opinionem conuincit.

VI

Palatia imperialia Saxonica.

Plurima enim Imperatorum palatia fuisse per totum imperium dispersa, nimis hodie omnes nouerunt, quam vt ampla singulorum enumeratione opus esset. Iam Caroli aetate praeter Aquisgranense, a Carolo Magno, teste EGHINBARDO in *vita eius* c. 21, conditum, palatium Francofurtense *Annales Bertiniani* ad annum 880, diserte commemorant. Pleraque quidem atque ea antiquissima in terris Rhenensibus exstructa occurrunt, at non ita multo post Saxonicae quoque terrae non minori palatiorum imperialium numero ornatae eminuerunt. Quorum de exstruktionem etsi nihil fere aut parum e praefici aevi scriptoribus elici queat, adsunt tamen monumenta, quae vetustatis eorum haud obscura indicia suppeditant. Nouimus Imperatores per varias imperii partes singulis fere annis iter facientes ad eas plerumque tetendisse vrbes, quae imperiali palatio instructae essent, vt ibi conuentus agerent curias que cum publicis, tum priuatis causis tractandis destinatas celebrarent. Cum igitur seculo iam decimo eiusmodi conuentus Magdeburgi, Marzeburgi, Gronae, Alstedt que institutos e Ditmaro aliis que scriptoribus aequae atque e diplomatis nonnullis ibidem exaratis cognoscere liceat, iam tum palatia istis in locis exstitisse non ambiguum est. Fuerunt, qui palatium Magdeburgense inficiarentur. Sed cum eius in diplomate Ottonis I. Imperatoris, quod SAGITTARIUS *Antiquit. Magdeburg.* p. 74, commemorat, deinde post aliquot seculorum decursum in *Iuris Municipalis Magdeburgici*, art. XII. mentio fiat, non est, quod de eo amplius dubitemus. Neque Gronense palatium minus vetustum fuit. Nam hoc etiam Ottonis I. aetate commemoratum legimus et extat diploma Ottonis III. ibidem confectum apud HEIDENRIC, p. 46. Ipsam vero Gronam, vbi palatium extitit, castrum imperiale fuisse iuxta Gottingam urbem, adeo que ab aliis eiusdem nominis locis diuersam GRYSBERVS in doctissima diatriba *Descriptioni ciuitatis Gottin-*
gensis,

167
17.

VX

gens (Gottingae, 1734.) praemissa idoneis rationibus demonstravit. Maxime vero omnium palatium Altstedenſe inclaudit, in cuius antiquitatibus inueſtigandis litteris quae imperialibus, quae ibi datae fuerunt, colligendis eximia diligentia SAGITTARIUS, at quanti viri! verſata eſt. Seculo XIV. et XV. hocce palatium Altſedenſe cum quibusdam annexis in manu Dynaſtarum Querſurtenſium aliquamdiu fuit ea tamen conditione, vt Electores Saxoniae cum Aſcaniis, tum Miſnenſes Palatinatus iura ſibi vtique retinuerint. Reliqua, quae de iſto palatio memoratu digna obueniunt, in ipſa Comitum Palatinorum enarratione, cui arctius cohaerent, paſſim attingam. Merſeburgenſis palatii hiſtoria ſeriore aetate tenebris obruta eſt. Sane illud Episcopis ibi ſedentibus vel donatum, vel alio modo ab iis occupatum videtur; quanquam ſeculo XIII. idem Palatinatus Saxonici partem adhuc effeciſſe KERKOVIVS, *Iur. Prouincial. Saxon.* l. III. art. 62. docet, qui caeteris Palatiis Saxoniciſ, Gronenſis, Altſtedenſis, Vualhuſino et VVerlenſi enumeratis, Merſeburgenſe quoque non dememinit. Vualhuſinum quidem in ipſa vrbis Altſtedenſis vicinia ſitum fuit. VVerlenſe autem, cum poſtea Goſlariam, frequentiſſimis Imperatorum curiis nobilem, translatum fuerit, non procul ab iſta vrbe inueſtigare debemus. Certe GRVBERVS, l. I. p. 88. VVerlam iſtam in VVeſtphalia minime eſſe quaerendam, quam ſententiam HORNIVS antea quae STRYVIVS erant amplexi, lucidiſſime oſtendit. Exiit quoque Lauchſtedi palatium, eo celebrius, quod, quam Marchiones Miſniae diuiſi quondam Palatinatus partem habuerunt, ei circa medium ſere ſaeculum XIV. Lauchſtedenſis cognomen adhaeſit. Reliqua Saxoniae palatia, quae Thornburgi, Arnſtadi ac Poledae ſtabilita fuerunt, tum, quia fama minus inclaruerunt, tum, quia iam STRYVIVS, diſſertatione laudata, nonnulla de iis commouit, ſilentio praeterimus.

VII

Primi Comites Palatini ſub Imperatoribus Saxonicae ſtirpis.

In ipſa Comitum Palatinorum Saxoniorum hiſtoria pertrahenda iam SAGITTARIUS, ſcriptis *Antiquitatibus Altſtedenſibus*,
GRVBERVS



GRUBERVS, in *descriptione urbis Gottingae*; HEIDENRICVS, *historia Palatinatus Saxonici*, potissimum operam impenderunt suam, quam omnes fere, tum in primis Comitibus Palatinis denominandis, tum in eorum serie nectenda, mirum in modum inter sese dissentiunt in que varias opiniones trahuntur. Itā SAGITTARIUS Athalberonem primum Comitem Palatinum inducit, successoribus illius, quasi de quibus nondum satis constet, ad Gosceces vsque, nullo iusto ordine commemoratis. Paulo copiosius quidem in Palatinis Saxoniae recensendis laudatus HEIDENRICVS versatus est: sed, ne eum in omnibus ducem sequar, adsunt quaedam, nec leuia, momenta. Ille enim in seriem Comitum Palatii plures saepe numero innectit, qui vel singularem modo Comitatum tenuerunt, vel aliud officium Imperatoria auctoritate in ipsos colatum gesserunt: Ita Sigfridum Comitem, Henrici I. generum, Geronem, Bionem, Eliconem, Hermannum Billingum, Tammonem denique Comitatu Palatii insignitos fuisse, scriptorum quidem testimoniis, sed illis nimium infirmis, efficere elaborat. Deinde vero tramitem ab ipso delineatum propter ea deserere cogor, quod geminos vno eodem que tempore Comites Palatinos Saxoniae ad Gosceces vsque, alterum in Thuringia septentrionali et orientali, alterum vero in Thuringia occidentali australi que extitisse affirmat. Qua in re etiam illustris GLAFFEY in *Nucleo Historiae Saxonicae*, l. II. c. 3. §. 3, quodam modo ei assentitur. At cum non solum fabula illa de Palatinatu Thuringiae iam dudum, maxime a GRUBERVS in progr. *de Palatinatu Thuringiae* iure merito que explosa sit, sed ne vnus quidem e chartis antiquis aliis que monumentorum recessibus adduci possit locus, ex quo Saxoniae Palatinatum illa tempestate in duas discissum fuisse partes appareat; non opus est gemino Palatinatu Saxoniae fingendo. Omnia enim, dum illo tempore vnum duntaxat quauis vice Saxoniae palatiis Comitem praefuisse contendimus, magis amice inter sese conspirant. Primus igitur, de quo e melioribus historiarum fontibus constat, Ottonis I. Imperatoris aetate, Berno, Comes Palatinus Saxoniae occurrit; quanquam, num ipse princeps omnium palatinam Comitum abstulerit, an vero decessorem habuerit, cum nulla ea de re adsint certa

167
17.

certa indicia, non dixerim. Bernonem vero hacce Palatina dignitate conspicuum eminuiffe inde colligitur, quod eum in charta anni 973. quam GRVBERVS l. l. ex MEIBOMIO exhibuit, non solum Comitem Palatinum appellatum, sed etiam quae muneris sui partes exigent, in palatio imperiali Saxonico, quod Gronae extitit, perfecisse legimus. Ipsum quidem anno 982. vti idem auctor ex *Necrologio Fuldensi* docet, defunctum Athalbero, cuius bona in Thuringia septentrionali sita iecerunt, in Praefectura Palatii excepit, quod e TANCMARI *vita S. Bernwardi*, apud LEIBNITIVM, *Script. rer. Brunsv.* T. I. p. 441. vbi Athalbero gemina vice Palatinus Comes Saxoniae audit, apparet: de anno mortis vero nihil constat. Successor ei extitit Theodoricus, seu Thiedericus, qui, si fides habenda est iis, quae interpret Saxo loco cum maxime laudato affirmat, et gener Athalberonis, et Comes Sommerseburgicus fuit. Idem SAGITTARIUS in animo habuisse videtur, vbi in *Antiquit. Altstedens.* §. 23. forte, ait, *per Sommerseburgicos comites Palatina dignitas ad Goseccenses peruenit.* Theodoricus ipse variis in locis, iis quae ab HEIDENRICO curate collectis, Palatini Comitis nomine insignitur, et facit huc diploma Ottonis III. Gronae, anno 993. exaratum, in quo iuxta Theodoricum Hermannique quoque, Palatini Rhenensis, mentio fit. Anno 995., teste *Chronico Quedlinburgensi* apud LEIBNIT. T. II. DITMARO MERSEBURGENSI, l. IV. et ANNALISTA SAXONE, naturae tributum soluit. Palatinatum tum vacantem ad Fridericum translatum peruenisse e DITMARO l. l. colligitur, qui eum eodem adhuc anno Comitem Palatinum compellat. Qua vero stirpe Fridericus fuerit oriundus, prorsus incognitum, quod et effecisse videtur, vt laudatus HEIDENRICVS eum et cum Friderico I. gentis Palatinorum Goseccensium auctore, et cum Friderico Ileburgensi confunderet. Istum vero sub initium anni 1003. diem suum obiisse eam ob causam conicitur, quod, cum, auctore DITMARO, l. V. Fridericus Palatii Comes, eo anno conuentui ab Henrico II. Marsburgi habito, interfuisset, breui tempore post, in litteris mensis Aprilis eiusdem anni Altstedi exaratis, quas MADERVVS in *Antiquitatibus Brunsvicensibus* p. 208. exhibet, iam successor eius, Burhardus ab Henrico II. Palatinus Comes appellatus obuenit.

C

Bur-



Burchardus quidem Palatinatum per quatuordecim annos tenuit, ad annum usque 1017., quo secundum DITMARVM et CHRONOGRAPHVM SAXONEM in viuis esse desit. Post illum Sigfridus Comes Palatinus creatus variis praesertim Henrici II. Imperatoris curiis adfuit. Quem tunc temporis Praefecturam Palatii administrasse e diplomate Conradi II. anno 1029. Vualhufae confecto, quod VVIDEBVRGVS in *Origin. et Antiquit. March. Misnens.* exhibuit, satis perspicitur. Ille, uti ANNALISTA SAXO et *Annales Hildeshemenses*, ap. LEIBNIT. T. I. perhibent, anno 1038. mortuus, vltimus fuit ex iis, qui Palatinatum Saxonicum nullo hereditario iure gererent, nisi quis cum saepe laudato HEIDENRICO Fridericum I. Gosfecensem inter Comites Palatinos adhuc referre ei que ante Dedonem locum assignare velit. Quod nobis quidem minus probandum videtur. Etenim non solum in eo, quod ille diplomate Lotharii ex anno 1035. innititur, paullo grauior inest anachronismus, cum illo anno Conradus II. et centum demum annis post Lotharius summam rerum in Germania tenuerit, sed verba quoque Auctoris libri *de fundatione monasterii Gosfecensis*, qui Dedonem primum e stirpe sua Palatinatum obtinuisse perhibet, sententiae isti assensum praebere vetant,

VIII

Comites Palatini e domo Gosfecensi.

Sigfrido defuncto, Palatinatum Saxonicum per duo annos vacasse, perquam probabile est. Cum enim, qui per hoc temporis spatium Palatii Praeturam praesuerit, reperianus neminem; non mors solum, qua Conradus II. inopinate oppressus occubuit, sed et varii conuentus, quos filius successor, Henricus III. teste CHRONOGRAPHO SAXONE, sub imperii auspiciis in terris Bauariae Sueniae que celebravit, nec non expeditiones bellicae aduersus Bohemos Vngaros que paratae, effecisse videntur, ut Henricus rex aliis grauioribus curis implicitus de re iudiciaria Saxoniae rite ordinanda minus sollicito cogitaret. Anno vero 1040. expeditione Vngarica feliciter peracta, Dedo, Comes Gosfecensis, Friderici I. filius, ob singularia in eo bello merita, Palatinatum libe-

liberalitate Henrici regis obtinuit, siue, vt *Auctor Gossecensis* loquitur, primus stirpis suae monarchiam palatii a rege promeruit. In quo monarchiae verbo, quanquam proprie Comitis Palatii solitudinem, siue Comitatus vnitatem declarat, si quis tamen maioris simul potestatis ex hereditario iure partim oriundae omen inesse dixerit, sane huic interpretationi euentus haud aduersatur. A Dedonis enim inde aetate Palatinatum Saxonicum, in quo concedendo Imperatores olim vnice suum arbitrium secuti videntur, vti-que sensim hereditarium esse factum animaduertimus. Reliqua quae Dedonem propius attingunt, apud SAGITTARIUM, l. l. §. 24. HEIDENRICVM l. l. c. IV. p. 62. alios que videre est. Vix etiam, in tanta rei claritate, Dedonem Palatinum a Dedone, VVettinensi Comite et Lusatiae Marchione, auctore Serenissimae Domus Saxonicae, diuersum esse, contra REFFINGERVVM memoria lapsum, (*Vitriarii illustrati*, Tom. I, p. 937.) monere opus. Dedoni, qui anno 1056. interijt nec legitimam prolem reliquit, successisse fratrem Fridericum II. disertis verbis asserit auctor *Chronici Gossecensis*: eo defuncto, inquit, monarchiam Palatii dominus Fridericus a rege suscepit. Vnde HEIDENRICVS corrigendus est, qui l. l. p. 68. elogio Friderici Palatini seductus, eum iam ante vna cum fratre superflite in consortio Palatinatus fuisse tradit. Hic ille est Fridericus, qui, posteaquam cum reliquis Saxoniae Primoribus Henrico III., aduersus quem nouas res moliti erant, sese dederat, ab Imperatore deceptus et anno 1075. Papiam relegatus, ibi per vnum et dimidium annum exulauit. Eundem tamen iam anno 1076. Imperatori reconciliatum libertati que restitutum fuisse ex LAMBERTO SCHAFFENAVRGENSI et MONACHO HERVELDENSI constat. Vtrum per breue eius exilij tempus Otto, Comes Nordhemus et Bauariae Dux, Palatinatum Saxonicum interim adminiftrauerit fuerit que ab ipso Rege ea dignitate ornatus, quod quidem HEIDENRICVS suspicatur, in medio relinquitur: certe in eo LAMBERTI SCHAFFENAVRGENSIS loco, ad quem prouocat, luculenta huius rei indicia non occurrunt, vt prope verum videatur, Palatinatum Saxonicum inter ea temporis omnino vacasse. Hoc inter vehementissimas, quae tum feruebant, Henrici III. cum Gregorio VII. Pontifice Maximo. contentiones

profecto fieri facillime potuit. Nec Fridericum III. Friderici II.
 filium per hocce temporis interuallum interferere licet. Iste enim,
 si *Chronicon Gossecense* audimus, tum nimis adhuc iuuenis fuit,
 quam ut parentis vicibus sustinendis idoneus esset. Id quidem
 negari nequit, Fridericum III. quem uiuo adhuc patre an. 1083.
 interfectum esse constat, ab Auctore *Chronici Gossecensis* aequè
 atque ab ANNALISTA SAXONE ad a. 1082. Comitem Palatinum
 appellari; sed hoc ipsi elogium propter ea, quod pater Comiti uiam
 Palatinam teneret, tributum uidetur. Ea enim iam aetate, quod
 illustris RITTERVS in *antiquiss. histor. Misnens. (Aelteste Meis-
 nische Geschichte bis auf Heinrich den Erlauchten, Lipsiae 1780) p.*
76. scriptoribus perquam solitum esse animaduertit, dignitatis
 parentum nomen saepe liberis datum, et Marchionum filios
 Marchiones, Comitum Comites compellatos ab aequalibus no-
 uimus. Ipse Fridericus II. anno 1088. e vita discessit, vltimus e
 Comitibus Gossecensibus, qui Palatinatus Saxonici prouinciam ad-
 administrarunt. Nam qui post Friderici III. obitum ei superstes
 extitit nepos Fridericus IIII. nomine tantum Comes Palatinus
 fuit, non re, quoniam, quem ipsi adhuc puero, Fridericus I.
 Sommersburgicus eripuit Palatii Comitatum, eum, teste ipso
 auctore *Chronici Gossecensis*, uti antea intentabat, repetere ami-
 eorum consilio abstinuit. Nec obstat huic asserto charta anni
 1129. in HEIDENRICI *Hist. Pal. Sax.* p. 92. e MADERO relecta, in qua
 Fridericus IIII. Palatinus de Putelendorf dicitur. Eundem enim ho-
 noris titulum Friderico III. quoque ANNALISTA SAXO impertit.
 Nempe tum ob aui dignitatem, tum ob iura sibi in Palatinatum
 quaesita hoc nomen gessit. Verba vero de Putelendorf commo-
 rationis locum designant, quoniam, quod post alios nuperrime
 RITTERVS, l. I. p. 382. optime animaduertit, ab initio seculi XII.
 nobiles nominibus suis praedia, in quibus degerent, addere con-
 fuerunt. De Friderici IIII. filio seniore, Henrico, nihil fere
 praeter eius mortem praematuram innotuit. Cuius frater Fri-
 dericus V. totius gentis vltimus, e monasterio vix protractus, id
 iuuenis adhuc iterum ingressus est, ut adeo graue Palatinatus
 officium ei vere concreditum, nedum ab ipso administratum fu-
 isse, haud contendere possis. Quae cum ita sint, alii iudicent,
 qua

qua parum idonea ratione HEIDENRICVS *Hist. Palat. Sax. c. V.* Palatinatum quendam Putelendorfensem ab eo, quem Comites Sommerseburgici gererent diuersum et separatum effinxerit.

IX

Comites Palatini e domo Sommerseburgica.

Ex Comitibus Sommerseburgicis Fridericus I. Fridericus II. et Adelbertus Saxoniae Palatinatum ab auctore quidem malis artibus quaesitum continua successione obtinuerunt. In qua re cum omnes consentiant, non opus est testimoniis congerendis. Non difficilis Friderico I. Sommerseburgico Palatinatus Saxonici fuit, quantumuis iniusta, occupatio. Scilicet nemo admodum, qui haec conanti resistere auderet, ipsi metuendus extitit. Fridericus III. Gossecensis, cui e iure maiorum palatinatus debebatur, iuribus suis defendendis nondum idoneus, seu, vt *Chronicon Gossecense* habet, infantulus adhuc fuit, cum ab illo Palatina Comitata excluderetur. Ludouicum Thuringiae Comitem, Friderici III. vitricum et tutorem, de bonis priuigni sui sibi ipsi aliquando vindicandis improbe meditatatum nouimus, quod consilium omnino vanum atque inane fuisset, si Fridericum I. Sommerseburgicum depellendo eum de Palatinatu sibi aduersarium reddidisset. Nec magis forte Sommerseburgico verendum fuit, ne Henrici III. Imperatoris indignationem incurreret. Erant enim tum tristissima illa tempora, quibus Henrico, post varios regni aemulos, machinationibus Pontificum ipsi obiectos, cum Eberto II. Misniae Marchione, vehementer ad imperii fastigium aspirante, decertandum esset: qua in re Imperator, vt Friderico Sommerseburgico conuiueret, ne huius incitamento reliqui Saxoniae Principes denuo irritati deficerent, satis omnino causae habuit. Anno 1111, imperante Henrico V. Fridericus I. disertis verbis Comes Palatinus de Saxoniam appellatus apud PETRUM DIACONVM in *Chronico Cassinensi* l. IV. c. 35. inter eos Germaniae Principes occurrit, qui celebre pactum de quo inter Henricum V. et Paschalem II. conuenerat, iureiurando ita firmarent, vt, si Imperator promissis stare negligeret, ipsi sese obfides Romanae curiae essent obla-

oblaturi; quem locum in suo genere grauissimum HEIDENRICVS alias in historia Friderici I, satis copiosus ac diligens, adducere omisit. Idem quoque l. I, c. VI, §. 26. in locum Palatini nostri, affirmantibus *Annalibus Hildeshemensibus*, anno 1115. ab Henrico V. dignitate sua priuati, Sigfridum, Comitem Bomenburgensem, quanquam sine successu, suffectum fuisse, auctoritate bullae cuiusdam Paschalis II. de anno 1104. innixus immerito suspicatur. Nam hoc diploma, nisi iam per se vel omnino falsitatis, vel saltem corruptionis notam incurreret, huc plane referri nequit, cum illa aetate Sigfridum Palatinatu Rhenoensi praefuisse tam certum sit, quam quod certissimum. Fridericum I. tandem anno 1120. mortuum filius Fridericus II. excepit, in quo, nisi quod monasterii Mariaethalensis fundamenta iecit, nihil fere animaduertendum occurrit. Cum anno 1162. e viuis discessisset, filius Adelbertus Comitiam Palatii, cuius elogio iam viuo parente usus esset, suscepit. Hunc variis curiis a Friderico I. Imperatore iudicii de Henrico Leone habendi gratia celebratis interfuisse, facile conicitur, HEIDENRICVS quidem *Hist. Pal. Sax* p. 129. SAGITTARIVS l. I. §. 32. GRUBERVS l. I. §. 43. et qui eos secuti sunt, eum anno 1178. defunctum fuisse perhibent. Sed meliora omnia B. BOEHMIVS erudita proluf. de *Henrico Leone nunquam Comite Palatino Saxoniae* docuit, vbi Adelbertum nostrum non solum cladi Halberstadensum, ad annum 1179. referendae, adhuc interfuisse, sed etiam mortem eius anno demum 1180. euenisse, idoneis *Annalium Bosouienfium*, et *Chronici Bigaugiensis* testimoniis firmat. Denique, cum Adelbertus, teste ALBERTO STADENSI, improles decesserit, apparet minus vera esse, quae GLAFFEX *Hist. Sax.* l. II. c. 3. §. 5. de extinctione gentis Sommerseburgicae seculo demum XIII. facta, perhibuit.

X

Henricus Leo inter Comites Palatinos Saxoniae falso relatus.

Non alieno profus loco hic esse videtur, pauca quaedam de commentitio Henrici Leonis Palatinatu interferere, in quo vanitatis, conuincendo elegantissimus BOEHMII libellus cum maxime

167
17.

xime laudatus, versatur. Mirum profecto est, tot viros rerum patriarum peritissimos, quos omnes l. l. enumeratos legimus, vnanimi veluti consensione Henricum Leonem Saxoniae Palatinum agnouisse. Multi, inter quos potissimum SAGITTARIUS in *Antiquitt. Altstedens.* eminent, ut isti sententiae fidem conciliarent, ad diplomata prouocarunt, quae aut omnino non extant adeo quae nec produci potuerunt, aut, si vel maxime extiterint, ut iam GRUBERVS l. l. p. 87. coniecit, interpretantium incuriam fefellerunt. Nec clarius Palatinatus Henrici Leonis vestigium, ut BOEHMIVS, l. l. p. 11. obseruat, apud scriptores aequales apparet. Equidem quod addere liceat, non ignoro vnum profecto profutare locum, vbi Henricus Leo, Palatinus, verum non Saxoniae, sed Rheni, compellatur. Scilicet MONACHVS VVEINGARTENSIS de *Gueifis Principibus* apud LEIBNIT: *Script. Brunsv.* T. I. p. 305. de filio Henrici nostri loquens, adiecit: *Henricum fuisse filium Henrici Leonis, Ducis Saxoniae et Bauariae, RHENI PALATINI, Domini in Braunschweig et Luneburg, et fratrem Ottonis, Romanorum Imperatoris.* Id vero monachum illum per imprudenciam tantum scripserit, facile quisque concedet, cum Henricum Leonem nec Rheni Palatinatum tenuisse, sed hunc ipsius demum filio, ex quo Agnetem, Conradi Palatini Rhenensis filiam, connubio sibi iunxerat, obuuisse, hodie constet. Totus omnino de Henrici Leonis Palatinatu error ex eo originem duxisse videtur, quod Adelberti Saxoniae Palatini mors ad annum 1178. olim falso fuit relata, quae tamen sub initium demum anni 1180. euenit. Sed cum Henricus Leo, viuo adhuc Adelberto, et anno quidem 1179. exauctoratus fuerit, quod nuper admodum confirmauit illustr. PRAESES, in *Bernhardo Astano, Duce Saxoniae, varii generis obseruationibus illustrato*, Obs. V. anno vero 1180. vacuofactus Palatinatus statim ad Thuringiae Landgrauios ab Imperatore translatus sit: ex his omnibus nemo non, opinor, intelliget, Henricum Leonem nunquam Comitatum Palatii Saxonicum obtinuisse. Ipsa vero scriptorum aequalium loca, quae ad hanc sententiam approbandam faciunt, laudatus BOEHMIVS l. c. diligentissime indicauit.



Comites Palatini e Landgraviis Thuringiae.

Nouum Palatinatus Saxonici oritur tempus, ex quo Fridericus I. Imperator post Adelberti obitum in curia Gelnhusae ante paschatis ferias anno 1180. celebrata, testantibus *Annalibus Bofoniensibus* ad annum 1180., Ludouicum III. Comitem Prouincialem Thuringiae Palatinum Saxoniae creauit. Ad hunc enim, minime ad Hermannum, quae SAGITTARII, TENZELII, STRV VII que sententia fuit, cui etiam nouissime RITTERVS accessit, hanc dignitatem primum esse translata, ab aliis iam extra omnem dubitationis aleam positum est. Cuius quidem imperatoriae in Ludouicum liberalitatis duplex ratio fuisse videtur, altera, vt Ludouici studium sibi magis conciliaret, quem forte Bernhardi Afcanii, magna Ducatus Saxoniae parte aucti, incrementum haud aequo animo ferre aut nosset, aut suspicaretur: altera ea que potissima, quod bona Palatii, si potentioris Imperii Principis curae concederentur, facilius facta testata que conseruatum iri viderentur. Ludouicus vero, id quod ex *Chronico Sampetrino Erfurtensi* ad annum 1181. apparet, ab Henrico Leone bello infestatus et vna cum Hermanno fratre captiuus redditus, posteaquam anno 1181. libertati restitutus fuit, sub finem eiusdem anni in curia Erfurtensi Palatinatu in commodum fratris incertis de causis vltro se abdicauit, in eadem que curia Hermannus I. Comes Palatinus creatus est. Forte ea in re coniugii, quo Hermannus Sophiam sibi iuncturus erat, ratio habita: eam enim in Anonymi *Histor. de Landgraviis Thuringiae* c. 29. Comitis Palatini Saxoniae filiam dici legimus, incerti, vtrum e domo Gosceciensi, an Sommerburgica oriunda fuerit, cum, in quamcumque inclines sententiam, aequales fere vtrinq; difficultates animaduertas. Sane principis ex veteri Palatina domo matrimonium poterat Palatinatus possessionem firmare. Cum igitur illa aetate Hermannum I. Palatinatu praefuisse certissimum sit, recte omnino illustris RITTERVS *Histor. Misnens. antiquiss.* p. 302. locum, quem ex *Annalibus Vetero. Cellensibus* p. 690. desumptum exhibet, prorsus falsum, omnibus que historiae indicis contrarium declarauit. Scilicet
auctor

auctor annalium illorum de Theodorico Graecensi, Conradi Marchionis ex Dedone nepote, qui anno 1207. mortuus est: *Theodicus*, inquit, *Marchio fuit primus Comes Palatinus, et hereditario iure fertur ab Imperatore ad hoc privilegiatus: et ex post Marchiones Misniae semper adscripserunt sibi istum titulum, ut puta Marchiones Misnenses et Comites Palatini: vel a castro Grozsig, vel Sommerschinburg.* Cuius quidem loci menda, inde fortassis, quod auctor ille Comitatum Sommerseburgieum, a quo Theodicus saepius cognomen duxit, cum Palatinatu Saxonico unitum existimavit, prolapsa ita apparent, ut iis refellendis immorari haud opus sit. Caeterum Hermannus, incluto illi bonarum litterarum statore certaminum que poeticonum Vuarburgi celebratorum moderatori, Palatinatus absque dubio cum iure eundem ad posteros transferendi fuit concessus, quoniam, qui eum in Comitatu Provinciali Thuringiae exceperunt, iidem quoque omnes Palatina dignitate insignes occurrunt. Ita ei anno 1215. Ludovicus III. anno 1227. Hermannus II. sub Henrico Rasponis tutela, et anno 1241. ipse Henricus Raspo ad annum vsque 1246. in utroque Principatu successores extiterunt. Quae omnia ab aliis iam satis expedita non desiderant reiteratam probationem. Magis est, ut chartam aliquam Henrici Illustris, Misniae Marchionis, quae in hanc aetatem incidit, quippe anno 1230. exarata et primum quidem a STRUVIO in *diss. de Comitatu Palatinatu Saxonici* p. 17. deinde ab HORNIO in *vita Henrici Illustris* p. 296. exhibitam, commemoremus, quam, quia Henricus ibi et Thuringiae Landgravi et Saxoniae Comitis Palatini titulos sibi ascripsit, GRIEBNERVS nostras atque REINHARDVS, ille quidem *prolus. hic disput. de titulo Comitis Palatini Saxoniae in litteris Henrici Illustris*, aliquanto suspectam reddere tentaverunt. GRIEBNERVS quidem post varia dubia in eam tandem movetur sententiam, ut elogium illa, quippe Henrico Illustri ea aetate prorsus inusitata, vitio librarii serioris aevi intercalata opinetur. REINHARDVS vero diploma illud rectius Henrico Rasponi tribuendum esse rationibus geographicis, quamquam iis parum idoneis, approbare studuit. Quod si litteras illas falsitatis convincere nitaris

hoc ratiocinio, quod nequeat Henricus illustris, anno 1230. duodecim demum annos natus, eas dedisse, fateor, speciosissimum argumentum fore. Verum et alia adsunt diplomata Henrici illustris adhuc minorenis nomine exarata; et, quod maximum est, LEBIUS in *Spicilegio ad HORNII vitam Henrici illustris*, qui liber iussu Serenissimi Ducis Gothani prodiit, p. 53. testatur, non solum huius chartae autographum anno 1230. expositae, sed aliam quoque authenticam eiusdem anni, in qua Henricus Comitis Palatini Saxoniae elogio non minus decoretur, in scriniis tabularum Alteburgensis adhuc seruari, e quibus utriusque etiam exemplum exhibuit. Quae cum ita sint, litteras illas ad Henricum illustrem referendas esse nulla superest dubitatio. Quod si ex his argumentis, Henricum ea aetate officio Palatino reuera praefuisse, sane hoc praecipitantis iudicii foret. Fuerunt elogia illa meri honorum tituli, quibus tamen Henricus non temere usus est. Sicut enim filios Comitum Palatinorum iam ea aetas saepe Palatinos Comites compellauit, ita Henricus illustris Hermanni aui et Iuttae matris dignitatem atque originem, forte ut certam istius adipiscendae spem manifestaret, eo maxime retulit. Cur vero elogium illud reliquis Henrici diplomatis ante Henrici Rasponis obitum exaratis desit, eius rei causae, cum ab arbitrio Principis vnice pependisse videatur, nulla fere ratione erui queunt. Hoc certe neminem, qui vel obiter HORNII *Codicem diplomaticum Henricianum* legerit, fugere potest, Henricum omnino in titulis adscribendis haud semper sibi constantem fuisse.

XII

*Comites Palatini e Marchionibus Misniae. Palatinatus diuisio in
Lauchstedensem atque Altstedensem.*

Extincta anno 1245. in Henrico Raspone mascula Comitum
Provincialium Thuringiae et Palatinorum, Saxoniae prole Comitatus

tatus Palatii Saxonici vna cum Prouinciali Thuringiae ad Henricum illustrem, Misniae Marchionem, ex iure, quod per inuestituram euentualem anno 1242. Beneuenti factam obtinuerat, non sine magna lite peruenit. A quo tempore Henricus Comitis Palatini Saxoniae elogio frequentius vsus est, quo tamen postea plerumque abstinuit, ex quo Comitatum Prouincialem Thuringiae aequae atque Palatinatum Saxoniae anno 1263. Alberto, filio suo nato maiori cesserat. Qua in re inprimis memorabile est diploma anno 1271. datum apud HORNIVM l. l. n. 45. cui Henricus Misnensem et Orientalem Marchionem, Albertus vero Thuringiae Landgrauium et Saxoniae Comitem Palatinum sese subscripsit: non obscuro sane indicio, omnia cum Palatinatu coniuncta bona et iura in Albertum fuisse translata, quantumuis HEIDENRICVS l. l. p. 164. dissentiat. Huius quidem Alberti aetate, feruentibus internecinis ipsius cum fratre Dieterico, immo vero post huius fata cum ipsis filiis suis contentionibus et domesticis bellis, euenisse videtur, vt ditiones, quibus tanquam Palatinus fructus esset, magnopere imminerentur earum que insignis portio in aliorum manum transfret. Albertus tamen, de cuius agnomine Palatini GRIEBNERVS sing. progr. *de titulo Comitis Palatini Saxoniae in litteris Alberti* exposuit, ipso Comitatu Palatii, quanquam aliquantum attenuato, absque dubio se abdicauit nunquam: eoque minus existimandus est eum in Fridericum Admorsum transfulisse, quo minus vel vllus scriptor aequalis hanc factam cessionem commemorat, vel dicitur Alberti in filios inimicitiae eam suadere potuerunt. Itaque anno demum 1314. Palatinatus vna cum Prouinciali Comitatu Thuringiae Alberti fato vacuefactus ad Fridericum Admorsum, solum, e defuncti filiis supersitem, iure transit. Hic vero ab eo tempore Palatinatus nomen non magis in titulis gessit, quam paullo ante iam fecerat. Quin ob aliarum dignitatum magnitudinem huius axioma, velut a LOEBERO *diff. de titulo Comitis Palatini Saxoniae in litteris Friderici Admorsi* monitum est, tuto reticuit. Eum anno 1324. Fridericus Seuerus excepit, de cuius Palatinatu e Carolo III. Imperatoris litteris anno 1350. datis atque in *diff. de Officiis Imperii Saxonici* a REINHARDO exhibitis omnino constat,

stat. In his iisdem litteris primo anno post Friderici Seueri obitum exaratis quatuor eius filii, Friderico quidem Strenuo, Balthasari, Ludouico et Gulielmo non quidem vniuersus, sed, quod tanquam primum atque clarissimum diuisionis factae vestigium notatu dignissimum est, Lauchstedenensis tantum Palatinatus beneficiaria lege concessus legitur. Cum vero Carolus III. Imperator septem annis post Rudolphum II. Saxoniae Principem Electorem, qui ea tempestate Palatium Altstedenense tenuit, in Bulla aurea Saxonica Metis data Comitem Palatinum Saxoniae solenniter renunciauerit; tamen si antea idoneis rationibus ductus a duplici Palatinatu statuendo alienissimus fui, nunc quidem, a Caroli III. indetate ad exitum vsque Domus Electorum Ascaniae geminum Palatinatum Saxonicum, Lauchstedenensem alterum, alterum Altstedenensem recte asseri posse, haud dubito. Lauchstedenensem quidem Friderici Seueri filii, excepto Ludouico vitam religiosam amplexo, principio communem administrarunt, facta vero inter eos anno 1376. terrarum diuisione, Fridericus Strenuus solus sortitus esse videtur. Cuius quidem rei haud leuis suspicio inde oritur, quod Fridericus vna cum terra Orientali ditionem quoque; Landsbergenensem a Principe Marchione saepissime Marchionatum appellatam et, vt HORNIIUS libro singulari *de Marchionatu Landsbergenfi*, (Dresdae 1725.) p. 53. docuit, Lauchstedenensem Palatinatus portionem finibus suis complexam obrinuit. Nec dissimilem ob causam colligere licet, Friderico Bellicoso, qui in diuisione terrarum anno 1382. denuo facta easdem fere ditiones, quas pater anno 1381. mortuus, possederat, nactus esset, soli Palatinatum Lauchstedenensem, cum quo tandem Altstedenensem lege successio- nis coniunxit, obtigisse, fratribus eius Comitum Palatinorum Saxoniae nomen ex communi duntaxat inuestitura acceptum more iam tum recepto tuentibus.

Comitatus Palatinus ad Principes Anhaltinos delatus.

Inter eos, qui post obitum Henrici Rasponis, anno, vt paullo ante animaduersum est, 1246. ad terras dignitates que ab illo relictas, et ad ipsum adeo Palatinatum Saxonicum aspirarent, nec leues Henrico Illustri de legitima successione controuersias mouerent, fuit etiam Sigfridus Anhaltinus. Sed parum prospera vsus fortuna ab vltioribus contentioneibus abstinuit, solo Thuringiae heredis elogio, quod iuris retinendi causa sibi attribuit, vt HORNIVS in *vita Henrici illustris* p. 80. docet, contentus. Postea vero, cum inter perpetuas Alberti degeneris rixas Palatinatus terrae ipsi atque innocentibus filiis eius partim ereptae essent, Rudolphus I. rex. anno 1280. (sic enim anni 1276 numerus ex addita indictione Romana ap. HEIDENRICVM p. 207. emendandus est,) peculiaribus litteris Alberto II. Saxoniae Duci, nec non Marchionibus Brandeburgicis, omnia, quae in partibus Saxoniae Thuringiae que ad Imperium pertinuissent, si qua alienata distracta que reperirent, ipsi Imperio vindicandi administrandi que potestatem fecit. Ea forte opportunitate vsi Principes Anhaltini Palatinatus aliquam partem ad se traxerunt, ipsam tandem Palatinorum dignitatem non secus atque Misnici Marchiones ab Imperatoribus consecuti. Etenim Ludouicus Bauarus iam anno 1320. Bernharde III. Anhaltino eius que patris Alberto et VValdemaro Palatinatum Saxonicum in feudum concessit: cuius quidem inuestiturae litteras BECMANNVS in *Historia Anhaltina* T. I. p. 529. exhibuit. De eodem Palatinatu et nominatim de Palatio Alstedense inuestitus est anno 1348. Bernhardus III. a Carolo IV. Imperatore, testantibus litteris apud BECMANNVM T. I. p. 530. Quamquam vtriusque Imperatoris largitionem ob ius et potentiam Misniae Marchionum, vi omni destitutam fuisse diligentissimus LENZIUS affirmavit *Beeman. Continuat.* p. 249. et 253. Isti profecto Principes Anhaltini nec palatium Alstedense vere tenuerunt, nec Palatinam dignitatem in titulis suis commemorarunt. Et sane illa inuesti-

tura iuri, quod ex infeudatione Beneuentana solius Henrici Illustris posteris debebatur, admodum fuit aduersa.

XIII

*Electores Saxonici Ascaniae stirpis Palatinatu Saxonico
Altsiedensi fundi.*

Sed quicquid eius rei sit, sicut tota Palatinatus Saxonici partitio a distractione terrarum Palatarum supra commemorata exordium cepit, ita etiam Palatium Altsiedense cum ditionibus ei annexis Misniae Marchionibus ereptum, satis diu in nobilium quorundam manu perstitit, quorum adeo nomina tabulae testimonii anno 1364. renunciati, quas LEVCKFELDVS *Antiquit. Kelbran.* p. 217, exhibet, nobis seruarunt. Scilicet ibi nobiles nonnulli, consules, iudices atque scabini iussu Rudolphi II. Septemviri Saxonis testantur: nobilem de Vvarmsdorf, deinde nobilem de Hackeborn, postea Comitem de Mansfeld seniore aequae atque iunioris eiusdemque uxorem Palatium Altsiedense tenuisse, donec ad Rudolphum II. perveniret. Isti tamen omnes nequeunt Comites Palatini dici, cum ne Burchardus quidem, Comes Mansfeldensis, ubi a Ludouico Bauaro Palatium Altsiedense feudi titulo accepit, in litteris inuestiturae, quae extant ap. HEIDENRICVM p. 219. Palatinus Comes appelletur. Optime quoque ex isto testimonio intelligitur, nec Duces Brunsvicensis, nec Marchiones Brandeburgenses, nec denique ante Rudolphum II. Principes Anhaltinos illud Altsiedense palatium tenuisse, ut adeo si qui eorum Palatinorum elogio interdum vsi deprehendantur, id vel ob inuestituras imperatorias, quantumvis successu caruisse videantur, vel ob aliarum ditionum ab antiquo Comitatu Saxoniae Palatino distractionum possessionem factum esse oporteat. Primus vero, penes quem hoc palatium cum ipsa Palatini Comitis dignitate denuo coniunctum certo scimus, Rudolphus II. Saxoniae Princeps Elector fuit,

1107
17.

fuit, id quod e Caroli III. bulla aurea Saxonica anno 1357. data non minus, quam ex tabulis testimonii paullo post, nempe anno 1364. perhibiti satis liquet. Hac imperatoria liberalitate ornatus, ipse quoque in diplomatis Palatini titulo vsus est aequae ac frater ipsius Vuenceslaus, qui eum defunctum anno 1370. in omnibus omnino Imperii dignitatibus excepit, in earum que possessione noua aurea bulla Caroli III. anno 1376. Francofurti data contra Albertum, ipsius ex fratre Ottone nepotem defensus fuit ac confirmatus. Qui ei anno 1388. successor extitit, filius Rudolphus III. de Palatinatu quoque disertis verbis a Sigismundo in bulla aurea Aquisgranensi inuestitus, eundem moriens anno 1419. in fratrem Albertum transmisit. Alberto vero triennio post extincto, cum Electoratus et reliqua, quae ab Imperio habuerat, officia ad Fridericum Bellicosum iure optimo maximo deferrentur, ea opportunitate quoque Palatinatus Altstedensis cum Lauchstedensi iterum coaluit, nec vlla postea huius dignitatis, quanquam utique terrarum cum ea coniunctarum vera diuisio denuo fuit suscepta.

Vltima Palatinatus Saxonici fata.

Itaque Palatinatus Saxonicus a Friderici Bellicosi aetate haud ita frequentes amplius mutationes habuit. Neque opus est, ordinem, quo posthac Palatini se exceperint, prolixè exponere. Ex quo enim Fridericus Bellicosus anno 1425. a Sigismundo Imperatore cum Electoratu, Archimareschallatu aliisque Imperii dignitatibus Palatinatus quoque inuestituram nactus erat, Palatina dignitas aequae, ac reliqua Saxonica Imperii officia, cum Electoratu arctissime coniuncta penes eum semper durauit, qui cum Electoris dignitate terris Saxonice praesisset, ut adeo series Comitum Palatinorum Saxoniae eadem sit, ac series Principum Electorum. Quodsi



Quodsi interdum Electores cum Ducibus Saxoniae communem terrarum suarum administrationem gesserunt, haec quidem in ipsam Palatinam dignitatem vim aliquam habere non potuit. Qua in re videtur etiam causa latere, cur neque in pacto diuisionis anno 1485. Ernestum inter et Albertum inito, neque in testamento Alberti anno 1499. a Maximiliano I. confirmato, quod vtrumque GLAFFEX in *appendice Hist. Saxon.* exhibet, aliqua Palatinatus Saxonici mentio facta deprehendatur. Ipsa controuersia Electoribus, ab Alberto et Georgio Ducibus, Palatinatus ergo mota, ex quo tum a STRVVIO diss. l. p. 30. tum ab aduersario eius GRIEBNERO diss. *de iuribus Palatinatus Saxonici Ducis Electori propriis*, p. 32 et 33. commemorata, cui liti tandem Georgius Dux renunciauit, non obscuro est indicio, Palatinatum solis Electoribus proprium fuisse. Postea vero transactione Iohannis Friderici nati Electoris cum Carolo V. Imperatore anno 1547. Palatinam quoque dignitatem Iohanni Friderico ademtam vna cum reliquis eius dignitatibus in Mauritium et Alberti lineam translata fuisse expeditum est. Igitur cum a Mauritio in de aetate ea semper Serenissimorum Principum Electorum ratio retenta sit, vt ipsi soli omnia Imperii officia cum Electoratu Saxonico coniuncta tenerent atque administrarent, nullum amplius dubium superest, eos solos Comites Palatinos Saxoniae et fuisse, et adhuc esse. Nec obstat Transactio Numburgensis anno 1554. inita, qua Augustus Elector Iohanni Friderico Magnanimo praefectura Alstedensem restituit. Nulla enim Comituae Palatinae cef-
 sio ibi facta legitur, nec ipse Palatinatus cum praefectura Alstedensi ita nexus et copulatus est vt alter ab altera separari nequiuisset. Quae quidem omnia eo certiora firmiora que efficiuntur eo, quod Maximilianus II. Imperator, cum litteris anno 1572. et 1573. datis (apud LVNIGIVM in *Archiv. Imperii*, Part. sp. S. IV. p. 272. et Part. sp. II, Cont. II. S. IV. p. 365.) Iohanni Guilielmo Duci spem in Palatinatu et reliquis Electorum dignitatibus succedendi impertiretur, ea ipsa re iura Electoris in Palatinatum Saxonicum agnouit. Pluribus adhuc argumentis GRIEBNERVS veritatem huius sententiae, quae celebri olim controuersiae inter ipsum
 et



et STRVVIVM agitatae materiam suppeditavit, dissertatione modo laudata exposuit.

XVI

Causae et tempus, quo et nomen et iudicium Palatinum Saxonicum in desuetudinem abiit.

Dum fata, quae Comitium Palatii Saxonica subiit, cogitando persequimur, mirum profecto ac memoratu dignum videtur, quod nulla, neque elogii, neque tribunalis Palatini vestigia in Saxonia nostra amplius obuia deprehendantur. Itaque in causas, quibus hoc factum sit, paulum inquirere haud a realienum fuerit. Henricum quidem Illustrem Palatini titulo saepius abstinuisse iam supra monitum est. Idem etiam tum interdum ab eius successoribus, tum a quibusdam Anhaltinis Saxoniae Electoribus factum animaduertimus. Fridericus tandem Bellicosus, ex quo vtrumque Palatinum vnitum tenuit, Palatinae dignitatis nomen in titulis suis prorsis omisit: quod exemplum deinde omnes Principes nostri secuti sunt. Varias causas eruditi comminiscuntur. Forte cauere voluit Fridericus, ne Principes Anhaltini Duces quae Brunsvicensis veteres contentiones, quibus Palatinatus Saxonici iura sibi tribui olim postulauerant, per tempus aliquod sopitas denuo instaurarent, et ipsum, qui Electoratus Saxonici causa multorum iam inuidiam expertus esset, nouis dissidiis impeditum perturbarent. Accedit, quod iam tum Comitium Palatinae non eadem amplius, atque olim, ratio esset. Multae enim terrae a Palatinatu direptae cum aliorum Principum territoriis iunctae coaluerant: reliquae vero, quae adhuc penes eos, quibus Palatina Saxoniae dignitas concessa fuit, permanserunt, eandem sublerant mutationem, quam Comes BRVATIVS l. l. T. III. p. 211. in omnibus terris Palatinis euenisse ostendit. Ista enim ditio, natura domaniorum imperialium sensim sensim que exuta, iisdem paulatim legibus, quibus alia Imperii beneficia, teneri coeperunt, adeo, vt omnes reditus et commoda inde percipienda, quam-

quantumvis olim Imperatoribus debita, ab ipsis tandem Palatinis retinerentur. Quae quidem omnino vera esse tum e litteris inuestiturae, quas Carolus III. Friderici Saueri filius anno 1350. dedit et nos supra laudauimus, tum ex alienationibus terrarum Palatarum, quas interdum factas nouimus, elucescit. Eadem quoque Palatinatus mutatio in causa fuisse videtur, vt ipsa iudicia Palatina successu temporis interirent. Igitur cum Principes terras olim iure Palatinae dignitatis administratas sibi proprias reddidissent et cum reliquo territorio coniunxissent, iisdem sensim inffitutis omnia recta et gubernata sunt noua que publicae disciplinae perpetuorum que iudiciorum tum publicorum tum priuatorum collegia ordinata, quemadmodum etiam in toto Imperio Maximiliani I. emendatio rei iudicariae nouam prorsus formam induxit, quae Comitum Palatini officio non ita, vt in prisco rei publicae statu, amplius egeret. Quanquam inde magna atque insignia Potentissimorum nostrorum Principum iura, quae ipsi adhuc praeclare tuentur, origines suas duxisse, nemo rerum Germanicarum peritus dubitat, vt adeo sint, qui vel vicarium Imperii regimen Saxoni tanquam Comiti Palatii obuenisse probabilibus argumentis statuunt, eundem que huius officii causa viuo etiam et regnante Imperatore ad instar Palatini Rhenani posse dignitates largiri coniciant, cf. ill. PRAESES *de iure conferendi dignitates in Imperio Romano Germanico.*

XVII

Insignia Palatinatus Saxonici.

Insigni dignitatis suae veluti emblemate Comites Palatini Saxonici antiquitus vsi sunt aquila alis expansis, conspicua illa in numis bracteatis sigillis que antiquis, quorum nonnulla et STRVVIVS et HEIDENRICVS aeri incisa nobis exhibuerunt. Quae quidem aquila Saxonici Palatinatus insigne perpetuo fuit, hac tantum mutatione facta, vt recentiore aetate vtraque Serenissima

1104
17.

fima Domus Saxonica adiecerit reliquis suis signis duplex
 feutum, quorum utrumque hanc auream aquilam alis expansis,
 altera quidem areola coerulea coronatam; nigra altera
 non coronatam ostendit. Hanc quidem non coronatam aquila
 singulare Palatinatus Thuringici emblema faciunt *ZECHIVS*
Evolution. insignium p. 6. et alii quidam rei heraldicae scriptores.
 Sed cum diuersus a Saxonico Palatinatus Thuringiae nunquam
 extiterit, vera duplicatae aquilae ratio videtur in diuisione Pali-
 natus Altstedensis et Lauchstedensis latere, ex quibus hunc vul-
 go Thuringiae Palatinatum dictum fuisse *GRIEBNERVS* opinatur.
 Vtique haec aquila non coronata priscorum Comitum Palatino-
 rum insigni similior: alteri coronae ornatus seriore demum aeta-
 te accessit.



THEOPHILO SIGFRIDO SOHRIO

VIRO HVMANISSIMO DOCTISSIMO QVE

S. P. D

IOH. THEOPHILVS SEGERVS

Quoniam TV, VIR HVMANISSIME, quod forte fortuna in titulo libelli iam maximam partem excusi animaduerto, TE eius scriptorem profiteri per summam TVAM modestiam noluisse, cum alii, qui ne unam quidem litterulam de suo dederunt, se tamen solenni verbo auctiores laudari gestiant, equidem utriusque nostri causa meum esse reor hac epistola palam dicere, eum diligentiae et vero etiam doctrinae TVAE totum deberi, et me, cui emendationis facultatem beniuole feceras, ne tres quidem sententias minuisse. Quaquam enim non in omnibus TIBI assentior, vidi tamen omnia tam diligenter cohesa tanto que iudicio disquisita atque excussa, ut religioni mihi ducerem sententias TVAS delere et meas forte opiniones in TVVM libellum inferre. Quod mirum multis videbitur, qui aut meam rationem non norunt, aut considerant iuuentem TVAM aetatem. Sed hi forte mirari desinent, si legent TE cum peculio humanissimarum litterarum ex illustri schola Grimmana ad nos missum in hac studiorum vniuersitate ultra quinquennium optimorum magistrorum ita audientem fuisse, ut ne unam quidem horam a lectionibus suis abesse TE quisquam meminere, reliquum vero tempus omne non voluptatibus et deliciis, sed lectioni et meditationi assidue tribuisse. Vereor in TVAS laudes excurrere: vetat hoc insignis TVA modestia. Nec tamen flere possum, cum vetus meus amicus et familiaris, PATER TVVS, mercator nobilissimus atque omnium iudicio honestissimus, suasu MVICKII, Viri clarissimi, cuius doctrinam humanitatem que et verso etiam erga me beniuolentiam maximi facio, studiorum TVORVM academicorum recturam mihi commisisset, neminem vquam meam rationem diligentius et fidelius secutum esse, aut maiores in studiis progressionem fecisse. Patere igitur, ut in TVA doctrina et in hoc eius publico specimine mihi tantum non ipse placeam atque omnibus TVIS magistris hunc suae disciplinae alumnum, imprimis vero OPTIMO PATRI filium eius cura et paterno amore dignissimum ex animo gratuler. Det Deus TIBI vitam vires que: res publica profectio habeat, cuius de se merita celebret. Vale et me ama! Ser. Lipsiae d. VIII. Ianuar. an. MDCCCLXXXV

Leipzig, Diss., 1785 P-Z

X 241 7854





P. 104.

1785/30.
12

NOTATA
DE
COMITIBVS PALATINIS
SAXONIAE

ILLVSTRIS I. CTORVM ORDINIS INDVLTV
PRAESIDE

IOH. THEOPHILO SEGERO

IVRIS SCIENTIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORE CATHE-
DRALIS ECCLESIAE NVMBVRGBENSIS CANONICO
SVPREMAE IN PROVINCIA CVRIAE ET COLLE-
GII IVRIDICI ASSESSORE PANDECTARVM
PROFESSORE ORDINARIO

A. D. XIII. IANVARII AN. MDCCCCLXXXV

H. L. Q. C

AD DISCEPTANDVM PROPOSVIT

THEOPH. SIGFRID. SOHR

GRIMMENSIS

LIPSI AE
EX OFFICINA SOMMERIA

